



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

1. De Euangelio Dominicæ: de duobus dominis. Matth. 6.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

Dominica XV. Post Trinitatem.

15. hebdomada.
post
Trinitatem.

De duobus Dominis. Matt. 6.

I.

I. *Nemo potest duobus Dominis servire. Non potestis Deo servire & Mammona.* Christus videns corda filiorum Adæ terrenis nimium esse affixa, ut inordinatum eorum, erga diuitias & cetera, quæ mundus amat, affectum, à transitorijs appetendis & aucupandis auellat, atque ad æterna desideranda & quærenda transferat, ostendit fieri non posse, ut simul vero Deo, & mamonæ, seu diabolo diuitiarum Deo, sincerè seruiatur, cum Deus velit terrena despici, cœlestia amari, opes indigentibus erogari, carnem domari, honores negligi, vnicam diuinam gloriam & æternam salutem in omnibus intendi: è contra Mammon iubeat terrena diligere, cœlestia negligi, opes coaceruari, nihil indigentibus tribui, voluptatibus indulgeri, dignitates affectari, propriam gloriam & temporalem.

ralem prosperitatem semper queri,
diuinam gloriam despici, aeternam sa-
lutem non curari.

Quam deploranda cæcitas pluri-
morum mortalium avaritiæ, quæ est
idolorum seruitus, ventri suo, alia-
rumque prauarum cupiditatum idolo
miserè seruentium, & suauissimum
diuinæ seruitutis iugum sacrilegè ex-
cutientium? Quam deploranda quoque
cæcitas multorum religiosorum & ser-
uorum Dei tam tepidè seruitio eius,
cui se totos consecrarunt, impenden-
tium, cum videant à filiis huius sæculi
tanta alacritate & studio inseruiri Do-
minis suis, Carni, mundo, diabolo, cum
*tamen caro largiatur suis seruatoribus mo-
mentaneam tantam voluptatem, mundus
transitoria sublimitatè, diabolus perpetuam
captiuitatem, Deus verò interminabilem
felicitatem.* Horror seruitutis mundi,
carnis, diaboli: feruor diuini seruitij.
II. *Ideo dico vobis, nolite solliciti esse ani-
ma vestra, quid manducetis, neque corpori
vestro quid induamini. Ut non solum
immodicum diuitiarum & rerum hu-
ius mundi superfluarum appetitum am-
putet, sed nimiam etiam circa res ne-
cessarias sollicitudinem esse fugiendam.
& moderatam tantum in rebus neces-*
sarijs

sarijs procurandis industriam, cum magna in Deum fiducia adhibendam, efficacius nobis inculcet; ideo curam illam anxiam de rebus ad vitam sustentandam requisitis, reiiciendam esse in Deum omnium auctorem & generalem prouisorem (de quo scriptum: *acta super Dominum curam tuam, & ipse te eruet.*) hisce quinque rationibus probare dignatur. 1. Quod anima plus sit, quam esca. 2. Corpus similiter plus quam vestimentum, qui ergo animam & corpus dedit, escas & vestimenta negabit? 3. Quod volatilia caeli pascant. 4. Quod lilia agri vestiatur, quanto magis homines ad imaginem suam aeternamque gloriam conditos? 5. Quod uti nemo cogitando potest ad staturam suam adijeere cubitum unum, sic omnium nostra sollicitudo vana sit absque diuino praesidio. Quis has rationes expendens superuacaneis curis se stulte conficiat, & non potius, ut monet S. Petrus, *securus omnem sollicitudinem suam projiciat in eum, cui est cura de nobis?* Et cum Davide confidenter exclamet: *Dominus sollicitus est mei. Dominus regit me, & nihil mihi deerit!* Filialis fiducia, creber recursus ad sinum diuinæ prouidentiae.

1. Pet. 5.

Psal. 54.

Ps. 39.

III. *Querite primum regnum Dei & iustitiam eius, & haec omnia adycentur vobis.* Expeditissimum res necessarias absque anxia sollicitudine acquirentes suggerit nobis medium, videlicet quaerere primum regnum Dei & iustitiam eius, quod fit 1. Ardenter & constanter in omnimoda perfectione indies proficere, Deoque eximie placere conando, sicque ad continuum gratiae sanctificantis incrementum aspirando. 2. Pure semper & in omnibus diuinam gloriam, amorem & beneplacitum respiciendo, intendendo, promouendo. 3. Ad regnum gloriae ubi clarè Deum videbimus, beatè amabimus, perfectè laudabimus, semper anhelando.

Quanta benignitas illa Domini tale cum inutileseruulo pactum inuenit, vt, si is regnum Dei & iustitiam eius dicto modo quaerat, de necessarijs omnibus paterne eidem provideat, quam manifeste hoc ipsum in se compleri deprehendit, quisquis sincerè cum filiali fiducia Deo seruire satagit. Zelus eximiae perfectionis & purae intentionis.